



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Vita Et Virtutes Venerabilis Patris Lvdovici De Ponte, Societatis Jesu**

**Lamparter, Heinrich**

**Jngolstadii, 1662**

Epistola XVIII. Eidem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43978**

largiatur. Si minus appositè ad  
 consulentis necessitatem locutus  
 sum, moneat eam Reverentia  
 Vestra, rarò Medicum tam felicem  
 esse, ut ad absentis infirmi affe-  
 ctum satis aptum remedium præ-  
 scribat. Dominus noster, qui est  
 ubique præsens, defectum meum  
 supplere, & Reverentiam Vestram  
 custodire velit. Vallisoleti 27. Junij  
 Anno. 1617.

EPISTOLA XVIII.

*E I D E M.*

QVID CONSVLENDVM  
 SCRVPVLOSO.

*Pax Christi.*

**P** Erfert vitam P. Balthasaris  
 Dominus Luisius de Oscariz:  
 Feci quod potui, non potui quod  
 volui. Videtur is mihi talem vitæ  
 consortem invenisse, qualem ex-  
 optare debuerat: nec dum tamen  
 abjecit scrupulum de voto, quo  
 se

se Religioso statui, ut ait, in morbo devovit; licet eorum, quibus conscientiam suam credit, auctoritate liber ab hac sollicitudine esse iustus sit, eò quòd votum non esset, quo semet obligasse arbitratur. Et sanè, quantum ego quidem novi, non expedit ipsum Religionem ingredi, etsi certus esset, se voto esse obstrictum: quanto igitur magis, cum de voto ita sit dubius, ut neutiquam se possit resolvere. Amore Christi rogo Reverentiam Vestram, ne permittat ipsum repetere confessiones præteritas, sed confiteri singulis hebdomadis, & alternis sacro Pane se reficere; vel sæpius, si ita videbitur. Finita confessione si redierit, nequaquam audiendus, sed ad sacram Synaxin sumendam urgendus est: certum enim mihi est, cum nulli eorum assentiri, quæ dicitur. Non abiciat animum, nec

nec à præscripto sibi ordine discedat, quia non est exiguus fructus ità occupari: nam si à labore non cesset, sed in eo perseveret, certum tandem à DEO auxilium sentiet: quia hi tales dum pugnant, cadunt, resurgunt, tandem à divina misericordia ad bonum salutis suæ portum perducuntur.

Patri Rectori me intimè commendet Reverentia Vestra, tum etiam P. Pimentel, & P. Vasquez. Dominus noster in omnes copiosum suum spiritum effundat, & Reverentiam Vestram servet.

Valilfoleti 22. Julij

Anno 1617.



EPISTO.